



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 2. Hospitalitas erga pauperes Christi, quam Deo grata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



Daniel.  
13. 630

mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Nempe ille est, qui nos finit hominum iudicijs affligi, atque ab iisdem nos denudè eripit; sicut eripuit Susannam iam, ob falsa senum testimonia, damnatam; quæ, dum ducebatur, ad iudicium retracta inuenta est castimoniæ speculum, quæ fuerat de adulterio infamata. Hæc enim est ars Dei, vnde mundus pios humiliat, inde ille eos exaltat; sicut etiam plerumq;, qui se exaltant, per ipsam exaltationem humiliantur. Igitur Helcias & uxor eius laudauerunt Deum pro filia sua Susanna, cum Ioachim marito eius & cognatis omnibus: quia non esset inuenta in ea

Rom. 15.  
4.

res turpis. Hæc omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Quin etiam ut à facinoribus suis mali deterreantur, si illis manifesta fiat enormitas iniuriarum, quas alijs intulerunt.

§. II.

*Hospitalitas erga pauperes Christi, quàm Deo grata?*

Inter eiusmodi scripta, censeo etiam meritò habendam vitam S. Vdalrici celeberrimi Augustani Episcopi, quæ è vetustissimis codicibus, ante Martini Lutheri tempora,



pora, Augustæ in lucem edita] est, fide utique antiqua. In qua legimus, D. Vdalricum ex itinere aliquando ad Rhenum perlatum incidisse in Comitem, qui fama sanctitatis illius permotus, magni fauoris loco habendū existimauit, si impetrare posset, vt eum in arce sua hospitem susciperet. Quemadmodum etiam hodie DEVM amantes gaudent, si PP. Franciscanos, Cappuccinos, aut alios Dei seruos, ad hospitium suum trahere possint, Existimant enim, se Deum ipsum, in illis excipere, & cum Deo diuinam benedictionem. Qualis, cum Elia, ingressa est, in Sareptha Sidoniorum, in domum viduæ, cuius *hydria farina non defecit, nec lecythus olei minus est, usque ad diem, in qua Dominus dedit pluuiam super faciem terra.* Quæ mulier utique hanc benedictionem meruit admirando genere hospitalitatis. Nam cum ubique fames esset; cum ipsa & filius omnia iam consumpissent, nec illi quidquam superesset, nisi quantum pugillus capere potest *farina in hydria, & paululum olei in lecytho,* quo absumpto, iam se morituram cum filio, præ fame, ominabatur; tamen ausus est ab ea petere Elias, ac dicere: *mibi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem paruum,*

3. Reg. 17.

14.

X

lum,



lum, & affer ad me. *Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Elia.* Quæ jam hoc mater faceret, quæ non diceret; *Quisq; sibi proximus, aut, Tunica pallio propior est:* Ego prius, cum filio meo, comedam; si nobis ipsis non sufficit, cur daremus tibi? Nihil horum dixit; sed Eliæ primùm dedit, prodigioso quodam hospitalitatis exemplo. Quo non solùm nihil amisit, sed lucrata est plurimùm. Nam & comedit ipse, & illa, & domus eius: & ex illa die hydria farina non defecit, & lecythus olei non est imminutus. Quin & aliud beneficium illi Elias contulit, vt defunctum postea filium eius à mortuis resuscitaret.

## §. III.

*Opiparum & ferale Comitum epulum.*

Parem hospitalitem prædictus Comes, vtpote opulentus & omnibus rebus abundans S. Vdalrico non exhibuit, maius tamen beneficium reportavit. Nam postquam summis precibus obtinuit, vt pius Antistes apud eum diuerneret, res prorsus nouæ atq; stupendæ acciderunt. Iusserat Comes epulum splendidissimum apparari; iamq; accubuerant, & tot missus in mensam inferebantur, vt eorum ne numerandi quidem, nedum edundi copia esset. Ac, vt cum ventre

etiam